

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0058

0056

0062

0052

0067

0047

0107

0007

0157

0557

1057

Ende

Anfang

47

quasi greges ovium procedunt ad aquam pro potu, in aestu enim diei habitant in cavernis petrarum. Ibi sunt leones, ursi, vulpes, caprioli, cervi, lepores, onagri, et hujusmodi, quae ibi incedunt sicut animalia domestica, nec homines fugiunt, nisi quando eis nimis appropinquare contendunt. Ante aliquot annos leo ingens ibi morabatur, et nec hominibus nec bestiis molestus erat, sed ad hominem ibi transeuntem aspiciebat, et motu caudae suae mansuetudinem ostendebat: quidam autem Christianus cum arcu iter agens contra leonem sagittam misit, leo vero ad sagittam cucurrit, et eam odorabat; iterum ille aliam sagittam contra eum misit, ad ejus cursum se leo erexit, quasi eam petiturus, et post hoc factum in loco suo consueto non est amplius visus, sed evagabatur per campestria et per solitudines Jordanis, et cum rugitu circuit, quaerens quem devoraret, et tam hominibus quam jumentis multa intulit deinceps damna.

Dignitas et commendatio sancti Jordanis.

Dignitas sancti Jordanis est inestimabilis, separat enim regionem fidelium a regione infidelium: nam ultra Jordanem erant Ammonitae, Moabitae et Edom et Arabes; in hac autem parte habitabant filii Israel. Filiis Israel iter praebuit, seque mirabiliter in altum elevavit, ut habetur Josuae 3. Lepram Naaman, principis militiae Assyriorum sanavit, 3 Reg. 5. Helyae ac Helisaei praeceptis paruit, et viam per medium eis praebuit, 4 Reg. 2. Ferrum securis in illa aqua supernatavit mirabiliter, 4 Reg. VI. (200 A) Sanctissimus Johannes Baptista populum in hoc flumine baptizavit, ut habetur Lucae 3. et Joh. 1. et Marci 1. Sed quod omnibus his eminentius est, Christus Jesus, filius Dei, in hoc flumine baptizari voluit, ut tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam conferret aquis. Unde haec aqua est mater omnium in Christo regeneratorum. Ideo dicit Bernhardus: laeto sinu recipit Jordanes Christianos, qui Christi se gloriantur consecratos baptismate. Idem: Quid in fluminibus isto eminentius, quod ipsa sacra Trinitas sibi quadam evidenti praesentia dedicavit? Pater auditus, visus Spiritus Sanctus, Filius baptizatus. De quibus